



Hoc Volumen continet

- 1) Ludevici Disq: de Juramento compensationem non exal.
- 2) Hartmann de Etymologia vocis Weichbild. Dente
- 3) de Wikenendorff ~~primitus~~ de Exheredatione liberorum sine con-  
sensu parentum nuptias contraktionium.
- 4) Thomasii Disq: De non resindendo contractu condic-  
tionis ob metum spectrorum.
- 5) Thiede Disq: Jur: Sax: de Impunitatione damni per ignorantiam invicti.
- 6) Thomasii Disq: De Jure injusto hereditatum.
- 7) Eberhardi dict: Echwind Disq: De Notorio
- 8) Thomasii Disq: de Aequitate criminali et de refe: vend: eius ipsi practice
- 9) Streit de prescriptionibus
- 10) Thomasius de Concupinatu
- 11) Brundem: Tract: Quid: de Sardanaris non Roma Intra
- 12) H: Boehmeri Med: Jur: de Iniquitate et in justitia actionum injuriarum
- 13) Ludovici Disq: de eo qui post latem contestat bona immobilia possidere deficit
- 14) Rotermund de retractu conventionali
- 15) Uffini Comental: Jurid: de Clavigera Meretricio
- 16) Thomasii Disq: de Contracione Justice per amicabilen compositionem  
partium litigantium a Judice tenendam
- 17) Ludovici Disq: de malicie cypriani
- 18) Goeffke de eo quod iugum est circa dispensationem matrimonii ob legem con-  
tingentia vel officia iure divino prohibiti.
- 19) Cicelii Disq: De cambio trasfatio
- 20) Wild vogeli Progr: de justo lauro reprehendo
- 21) Strel de testamento in die iudicis insinuato
- 22) Heinrichi Disq: sistens Foeminarum Sacconiorum negotia absque  
curatoribus valida

21.

# CHRISTIANI WILDVOGELII, JC.

SERENISSIMI DVCIS SAXO ISENACENSIS CONSILIARII INTIMI  
ET ANTECESSORIS, COLLEGII IVRIDICI SENIORIS ET  
H. T. DECANI

## DE JVSTO LVCRO RESTI- TVENDO

*ad L. i. C. d. petit. hered.*

## PROGRAMMA IN AVGVRALE

P. P. d. II. OCTOB. A. C.

M DCC XIX.

---

JENÆ,  
LITERIS MULLERIANIS.

CHRISTIANA LITOGRAFICA  
EDITIONIS DUCENS TACOS PISCICINAS - COTYLINARIA IN LIBRA  
ET VITRAGINORUM, COMITIUS CARDIDI ET SARTORII ET  
AL. J. DECIVI

JASJO EACRO RESTE  
TAFENDO

ALX. G. F. P. A.

PROGRAMMA NAVIGARIALB

P. P. A. II OCTOB: V. C.

MDCXXIX

JENAE

THOMAS SCHUTTERVANUS



Inter generalia juris præcepta, secundum quæ ci-  
ves in Republica actiones  
suas instituere jubentur,  
Imperator noster Justinian-  
nus numerat: Suum cui-  
que tribuere, §. 3. J. d.  
J. & J. Et hoc quidem  
effatum sana ratione nit-  
tur, cum civilis societas inter mortales haud alio  
modo conservari queat, quam si nemini id de-  
trahatur, quod ejus est, atque potius reddatur,  
quod ipsi debetur. Usus hujus præcepti specta-  
tur non solum in rebus dominio hominum sub-  
jectis, ne scilicet hæ ipsis vel vi, vel fraude aut  
fallaciis eripiantur; sed & in conventionibus,  
quibus alter alterum obligat ad dandum aliquid,

A 2

aut

aut faciendum, & ut serventur promissa, quæ ex certa animi deliberatione prodiere.

Ad prius quod attinet ; referri huc merentur acquisitiones illarum rerum, quæ vel aliunde nobis adveniunt, vel ex bonis nostris percipiuntur, quales sunt fructus, illique vel naturales, vel, uti vocantur, civiles : hos enim illis, quorum est proprietas, relinquendos esse, quilibet fatebitur: ita quidem, ut etiamsi quis rem alienam bona fide possideat, fructus tamen inde prognatos lucretur & suos faciat. Aperte id docet Paulus JCtus, quando in l. 46. d. acqu. rer. domin. scribit: Bonæ fidei possessor non dubie percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos facit. Hujus sententiam sequitur atque approbat ipse laudatus modo Imperator, in §. 35. f. d. rer. divis. Si quis, ajens, a non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave justa causa æque bona fide accepit, naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, ejus esse. Fundamentum hujus pronunciati suppeditat idem JCtus Paulus in l. 130. d. Reg. Jur. dum scribit: Bona fides tantundem præstat possidenti, quantum veritas. An vero id

id tantum de fructibus possessoris industria quæsitis, an vero de aliis sponte provenientibus intelligendum sit, dubitare quis posset, ex eo, quod Imp. in supra allegato §. 35. hæc verba addidit: *pro cultura & cura*; Verum aliud nos docet antea memoratus Paulus in citata lege 46. qui non tantum eos, qui diligentia & opera bonæ fidei possessoris provenerunt, eidem tribuit, sed omnes in universum. Nec tamen credendum est, Imperatorem Paulo contradicere, vel ejus doctrinam rejicere; sed mens ejusdem ex lationibus Digestorum libris, quorum epitomen is per Tribonianum concinnari curavit, eruenda. venit: & si vel maxime ad curam possessoris respiciendum foret, certum tamen est, naturales quoque provenitus curam quandam desiderare, ut sic verba Imperatoris in hos etiam quadrent: quin &, si cultura & cura adæquatum, ceu volunt, rationem lucrandorum fructuum constituerent, malæ fidei possessori, qui fundum rite excoluit, isti quoque essent tribuendi, quod tamen legibus repugnat. Verumtamen nec extantes fructus suos facit bona fide possidens, veluti rescribunt Impp. Diocletianus & Maximianus in l. 22. C. d. Rei vind.

A 3

sed

fed illos solum, quos consumit, seu in suos nifus convertit. Hos enim illum LVCRARI, diserte scribit Paulus in l. 4. §. 2. fin. regund. atque idem de lana, tanquam ovium fructu, repetit in l. 4. §. 19. d. usucap. Hinc & Imp. in §. 2. d. offic. judic. si in rem actum sit, & contra possessorum judicatum, si is bonæ fidei possessor fuerit, non haberi rationem consumtorum fructuum, recte statuit.

Vtut vero hoc modo justus possessor hosce fructus ex re aliena juste lucretur; haud tamen eosdem in perpetuum retineri, voluerunt Romanorum leges, sed restitui jubent vero domino, rem propriam vindicanti, si percipiens per illos factus fuit locupletior. Clarissimis verbis id monet Vlpianus in l. 25. §. 11. d. hered. pet. ubi ait: Consuluit Senatus bona fidei possessoribus, ne in totum damno afficiantur, sed in id duntaxat teneantur, in quo locupletiores facti sunt. Eundem secutus Paulus, post Senatus-consultum omne lucrum auferendum esse, dicens, tam bonæ fidei possessori, quam prædoni, in l. 28. d. t. Meminit præterea hujus Scti, aucto-

re

re Divo Hadriano, avo suo facti, Marcus Ælius Antoninus A. in *I. i. C. d. petit. hered.* dum Augurino, Proconsuli Africæ rescribit: fructus bonæ fidei possefiores reddere cogendos non esse, nisi ex his locupletiores extiterint.

Habemus hic exemplum LVCRI JVSTE QVÆSITI, mox tamen RESTITVENDI. Id quod Paradoxum videri posset. Ad quid enim condicit, permittere lucrum, & tamen jubere id reddi? annon sic una manu largimur aliquid, & altera illud eripimus? Verum enim vero non destitui hoc sanctum: recta ratione, facile apparet, si modo communem istam juris regulam intueamur, quam Pomponius inculcat, in *I. 206. d. reg. jur.* & *I. 14. d. condic. indeb.* neminem scil. cum alterius damno fieri debere locupletiorem: cui suffragatur Bonifacius VIII. Pontifex in *cap. 48. d. reg. jur. in 6.* eamque sententiam, tanquam æquissimam, defendunt Theologi morales, Bonacina, Dicastillo, alii, quos recensere nimis longum foret.

Quo

Quo autem modo quis factus dicatur locupletior, clare demonstrat Vlpianus in *d. l. 25.*  
*§. 16. d. hered. petit.* Si nimur illud consecutus sit ex fructibus, ut suum, quod alioquin expendere debuisset, retineat: adeoque, si quid laetus, contemplatione rei acquisitæ, impenderit, aut si quid dilapidaverit, aut perdidit, dum re sua se abuti putat, non censetur factus locupletior, neque id præstat.

Et hæc quidem ita se habere in hereditatis peritione, dubio caret omni; Cæterum, an idem observandum etiam sit, quando singularis quædam res vindicatur a bonæ fidei possessore, non una omnium est sententia. Pro negativa pugnat, quod hereditatis petitio sit judicium universale, & contineat simul præstationes personales, atque fructus hereditatem adaugeant: in rei autem vindicatione certum corpus petitur, cuius fructus bona fide percepti, semel in dominium possessoris pervenerunt, atque hunc quæstum per consumtionem factum ipsi retinere jura permittunt, adeoque leges de alia re loquentes, ad alias casus minime trahendos esse, defendant DD. quampluri-

plurimi, relati a Frantz. *Exerc. 4. qu. 9.* Sed affirmativam tuentur eximii J. Cti, VVesenbec. ad §. 36. *J. d. rer. divis. n. 11.* Treutler. *Vol. 1. Disp. 15. tb. 11. in fin.* ipse quoque JC. Sax. Princeps Carpz. p. 3. *Conf. 32. def. 28.* cum citatis ab Esbachio ad d. L. Carpz. Et haec quidem sententia, etiam si prior fortassis juri magis sit congruens, amplectenda videtur ex eo, quod in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius sit, quam tutius, l. 3. d. his que in testam. l. 56. & l. 90. de reg. jur. talis vero est ista, qua Dominus de damno vitando certans, præfertur possessori de lucro captando laboranti. Quod tamen iterum limitationem admittit in casu, quo fructus consumti possessorem locupletantes, per lapsum triennii, vel jure Saxonico, unius anni, sunt usucapti, veluti recte monet L. B. de Lynck. in annot. ad Locam. lib. 2. tit. 1. §. 36. post Carpz. d. def. 29. n. 1.

Ejusmodi lucri juste acquisiti restitutionem metuere haud necessum habent, solertes jurium cultores, quippe qui fructus ex studiis continuo labore & industria collectos in perpetuum suos

B

faci-

faciunt, imo illud consequuntur, ut, quod Imper.  
habet in Nov. 1. Epil. nunquam in pauper-  
tate vivere cogantur.

Probe hoc animo pensitavit nobilissimus  
honorum in jure summorum Candidatus

JOANNES PAVLVS AEGI-  
DIVS NITSCHIVS

illusterrimorum Comitum Schönburgicorum  
Regiminis, & Praefectur: Glauchaviens:  
Advocatus,

Cujus ortum, studiorum progressum &  
vitæ huc usque laudabiliter peractum cursum,  
paucis delineamus. Volvebatur nimirum an-  
nus recuperatæ gratiæ millesimus, sexcentesí-  
mus, nonagesimus secundus, cum in oppido  
Glauchaviensi, Comitum Schönburgensium sede,  
Ipse die XXV. Junii, a Parentibus nobilissimis  
ac egregiis in lucem susciperetur. Pater est illu-  
strissimi Comitis, Domini FRANCISCI  
HEN-

58 (o) 58

HENRICI consiliarius aulicus , ac VVechselburgi Præfetus gravissimus , JOANNES ADAMVS NITSHIVS , qui laude in terris his solida , propter multa merita evehitur : Mater vero , virtutis ac stirpis eximiæ fœmina , & a quæstore industrio , jamque in cœlum translato , JOANNE CHRISTOPHORO MULLER , progenita major natu filia , JOANNA SOPHIA , post paucos admodum , à Candidati natilibus dies , vitam cum morte antehac commutavit , Nostrumque ad orbitatis tristissimæ sortem rededit . Hujus igitur vici bus Parens optimus functus , annorum adhuc quatuor filium , per decennii integri interwalla , præceptorum domesticorum fidei & curæ mandabat : quorum prior HENRICVS ROTHERVS , consiliarii nunc Saxonici Commissionum , ut dicere solent , VVeistenfelsensis dignitate præcellit : alter , GEORGIVS LEVCHTIVS , Geieræ in tractu montano , advocati exercitati laudem consecutus est : porro tertius , THEOPHILVS ROTHERVS , sacerdotis nunc munia apud Silesios administrat . Postea

B 2

No.

Noſter ab anno ætatis decimo quarto, ad octavum & decimum usque, ſcholam patriam Glauchaviensem obiit, Rectorum iſtius clarissimum, cui THOMÆ nomen erat, cum ſtudiorum ſuorum ſucceluſ notabili, auſcultavit. Hoc autem Lyceum anno MDCCIX. cum florentiſimo Altenburgensi gymnaſio commutabat, quod nobilissimus artis medicæ Doctor VVENZELIUS illo tempore dirigebat, Conrectoris interea partes præclarissimo FRISIO, Subconrectoris vero officium eruditissimo S T E R N I O obeunte. Ejusmodi doctrinarum præſidio in Jenensi hanc academiam anno M DCC XI cum excellentissimus Saxoniæ Ducum Consilia- riū, STRUVIVS, ad clavum ejus ſederet, ingressus est, ibique omnes philosophiæ ſcien- tias ab ampliſſimo BOYO, ordini philoſo- phorum adſcripto, cum fructu haud parvo edocebat. Cum proinde in regia justi ac æqui ſapiencia à juris Doctoribus consultiſſimis, KRESSIO, GERHARDO, BRAVNIO, illo Justiniani Cæſaris elementa atque jus

ponti-

pontificium explanante: isto pandectas , ut vocant : hoc jurisprudentiam STRUVII inculcante , sedulo ac fideliter institueretur , spei ac expectationi omnium satisfecit. Neque alium in HAHNEMANNI prænobilissimi scholis , de tota Jutisprudentia habitis , inque recitationibus publicis Antecessorum hic loci celeberrimorum , FRISH ac SCHROETE RI , inque laudati antea STRUVII , juris publici ac civilis historiæ argumenta tradentis auditorio , nec non in JConsculti ac Professoris nobilissimi GUILIELMI HIERONYMI BRUCKNERI lectionibus , quibus viam ad exercitationes forenzes ostendit , se exhibebat. His studiorum profectibus in urbe deinceps natali innotuit , postquam parentis honoratissimi consiliis fretus , causas ibidem clementum , in summis & inferioribus judiciis peroravit. Supremum itaque in Doctrinis legitimis gradum , ut merito suo adscenderet , athenæum hoc nostrum repetiit , inque ordinem Candidatorum suscepimus , priuatimque tentatus , id obtinuit , ut ad specimina publica , &

principio quidem ad lectionem, quam dicunt,  
inauguralem, qua *Leg. fin. C. d. Edic. D. Hadrian. toll.* die crastina, horis consuetis interpretabitur, janua ipsi a nobis aperiretur. Cui, ut benevolas aures præbeatis, ProRector magnifice, Patres academiæ celeberrimi, sacrorum Antistites venerandi, hospites item ac cives eximii, omnes in præsenti ac singulos officiose admodum & amice invito. P. P. sub Falcultatis sigillo. Jenæ, d. II. Octobr.

An. M DCC XIIIX.







99 A 6990'



V3 17

Retro



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Centimetres

Inches

Blue

Cyan

Green

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

21.

# CHRISTIANI WILDVOGELII, JC.

SERENISSIMI DVCIS SAXO ISENACENSIS CONSILIARII INTIMI  
ET ANTECESSORIS, COLLEGII IVRIDICI SENIORIS ET  
H. T. DECANI

## DE JVSTO LVCRO RESTI. TVENDO

*ad L. I. C. d. petit. hered.*

## PROGRAMMA INAVGVRALE

P. P. d. II. OCTOB. A. C.

M DCC XIIIX.

---

JENÆ,

LITERIS MULLERIANIS.

